



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Deuotio vera quænam sit, & quomodo ea exercenda: deuotio item sensibilis quo pacto sit periculosa, quatenusq[ue] à Deo petenda, ac in ipsum trahenda. Cap. XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Lectio quorumnam librorum siue frequentanda siue fugienda sit Dei famulis.

CAP. XI.

Pluvia Dei
quæ sit.

Lectio cuiusmodi sola frequen-
tanda.

Lectio cuiusmodi sit
cauenda.

Lectio sacra est pluvia Dei, rigans hominis mentem, ut quicquid bonæ voluntate conceptum est, germinet in opus. Ab omni lectione quamlibet suavi & pudica, si non ædificat ad bonos mores, aut si non ad Deum inflammat amorem, abstinere. Ea enim sola quæ te ædificant & ad Dei amorem inflammant, quæ quoque tuum iuuant propositum legere debes. Quid multa prodest legisse, si eos non legeris libros, nec ea intentione, è quibus te corrigere atque teipso melior fieri quotidie discas. Lectio prorsus est otiosa, quæ nullum post se relinquit fructum. Quicquid enim legeris boni, nisi pro vultu etiam illicò imitari decreueris studuerisq; nihil legisti. Scientia enim sine opere accusat & damnat. Nihil igitur quod proposito tuo non congruit pro curiositate legas. Si præterea in bono viliq; libro quid vanum, mundanum, impudicumve occurrit, illud sancta religione transilias, seu legendum intermittas. Deinde, quid de regibus, principibus, seculiq; rumoribus ad te scire pertinet? Quicquid in huiusmodi est quod neq; compunctionem sancti cordis veredoleat, neque assert ædificationem, respice. Quare enim abstractam à mundo elegisti vitam, nisi ut quæ scitu necessaria non sunt nescias, seculi ignores rumores, nihil videas, nihil audias quod mentis interturbet pacem ac tranquillitatem? Quomodo ergo in solitudine leges aut inuestigabis, quæ verescires è seculo ad solitudinem fugisti? An nescis ea te quæcunq; legeris meditaturum? Nisi igitur ab his abstinueris, puta ut historias profanas seculiq; rumores neque legeris neque audieris, nihil tibi proderit silentium corporalisve abstractio vitæ. Quid enim interest, vana, curiosa, otiosaq; legere et audire nisi quod legisse propemodum perniciosius est, propterea quod lecta tenacius memoriæ hærent. Finis itaque tuæ sit lectionis ea quæ legeris, si bona sint imitari. Vbi ergo quid legeris huiusmodi, quomodo hoc ipsum perficere quoque possis tecum meditare. Alioquin lectio (ut dixi) tibi profus inutilis est & otiosa.

Deuotio vera quænam sit, quomodoque ea exercenda: deuotio item sensibilis quo pacto sit periculosa; quatenusque à Deo petenda, ac in usum trahenda.

CAP. XII.

Deuotio vera
quæ sit.

Deuotio vera non est mollicies cordis quæ sentitur, & qua in lachrymas quis facillè resoluitur, aut qua tunc ea quæ ad Dei sunt cultum, fide sentit suauia, quia cum peccato hæc deuotio stare possit. Siquidem & pagani & iudei, schismatici atq; hæretici naturaliter hanc deuotionem sentire possunt. Peccatores quoq; Christiani qui voluntatem malam nondum mutauerunt, hæc sentire deuotionem possunt. Vera igitur deuotio est bona voluntas, quæ spontè vtròque se tradit paratam ad omnia quæ sunt ad gloriam, honorem beneplacitumq; Dei. Hæc deuotio scienter aut volens
in se

in se non sustinet quicquid contra Dei est voluntatem. Hæc in ariditate cordis atque mentis sterilitate nihilominus perseverat. Vbiunque deuotionis nomen legeris audieris in collecta aut oratione, hæc quæ sequuntur intellige ac pete. Humilem pete feruentemque contritionem, qua pro peccatis pro negligentibus aliisque tuis omnibus quibus Deum offendisti culpis ex animo, & cum propria malitiæ detestatione doleas. Pete feruentissimam perfectamque dilectionem, quæ ab omni te peccato, ab omni quoque studio seu conatu quo Deus proximusve offenditur, contineat, puta vt illi, hoc est Deo, seruire intensissime charitatis indefinenter in hæreas, eundem solum purè perseveranterque in omnibus quærens. Tercio, pete tui ipsius abnegationem promptissimam perfectamque, qua diuinum beneplacitum cum plena tui ipsius abnegatione sequaris ac perficias, omnemque aduersitatem de eius manu patientissimam mitissime suscipias. Sub hoc igitur nomine, deuotionis, prædicta omnia coniunctim, ne per singula animo discurrere habeas, intelligens, eadem petere intendas. Hæc enim Deo, qui omnia intelligit, sufficiunt: Aliter namque Deus, aliter homo rogatur. Deus enim antequam petimus, nouit quibus indigemus. Ideo si singillatim hæc & illa expresserimus, non illum vt quæ petamus sciat instruimus, sed nos ipsos ad eadem reddimus attentos, ad recipiendumque idoneos quæ postulamus. At homini, si quid ab illo rogamus, vt articulatim nostra exponamus desideria necesse est. Est tamen alia deuotio de qua hic loquutus non sum, sensibilis: hæc propter se non debet peti, vt pote consolatio spiritualis, qua te indignum semper vt iudices conuenit: sed si à Domino offertur, cum timore & humilitate est recipienda. Cauendum quoque ne hac abutaris, id est, ne tunc in ea quiescas, quo minus propterea passionibus inuigiles mortificandis, faciendisque operibus charitatis, superbiæve, licet pigrior factus, ex sentimento hoc spiritualis consolationis. Prouide ne hac abutaris deuotione, hoc est, vt nihilo propterea te meliorem æstimans, sed inde te humilia, credens propter infirmitatem atque inopiam spiritus tui hanc tibi esse datam, vt vel muneribus conductus, & lacte potatus Deo seruias, qui cum alijs Dei seruis fidelioribus onera diei & æstus, hoc est, graues labores tentationesque ferre non potes. Blanditur igitur tibi Deus, & quomodo mater infantulum ad sui te amorem inuitat. Qui si constans fortisque animo es, iam tibi hæc sæpenumero subtraheret, vt sine his inter magnas etiam tristitias, derelictiones, aduersosque occurfus (sed maiore etiam profectu ac merito illi seruiendi fidelitatem perseverantiamque tuam monstrares. Sit igitur tibi hoc, quando consolari te à Deo sentis, indicium tuæ imbecillitatis, & inter illos te constitue, quos mercede huiusmodi, & blanditijs (ne deficiant à Deo) refocillari erigique oportet.

Deuotionis
nomine pe-
tenda que
sint.

Deuotione
sensibili
quomodo
non sit abu-
tendum.

Tu igitur, quomodo supra dixi, eam deuotionem à Deo pete, quæ in tribulatione quoque desolatos comitatur, nec vquam nisi Dei adest amicis. Illa secunde petitur: hanc verò diuinæ dispensationi committe. Potest tamen desiderari, non vt dixi propter se, hoc est, vt in ea quis delectetur, finemque suum in illa sibi constituat, aut in ea quiescat, sed vt facilius passiones malas mortificare queat, vt visibilia, mundumque spernere, in Dei amore se continere, laudes diuinas atque Dei cultum perfectius attentiusque offerre, atque ad omnia tam aduersa quam prospera Deo in illius beneplacitum velocius se va-

Deuotio
sensibilis an
desideranda
sit.

Deuotione
sensibili
quomodo
bene uten-
dum sit.

leat resignare, vtens ad hanc deuotione hac sensibili, tanquam instrumento ad huiusmodi congruo. Est enim deuotio hęc sensibilis instrumentũ Quo Deus quæritur, amatur, sentiturq; & placet. Quando igitur deuotionem hanc habes, vt ere illa, quando non habes, vide ne hanc propter desidiam aut leuitatem tuam non habeas, & conare humiliter præsertim quando diuino inter-tes officio) vt habeas, propterea vt pio, dulci, feruentiq; affectu erga Deum, debita tua ac laudes diuinas perficias, quàm si obtinere non posses, priorem illam deuotionem, quæ etsi dulcis non sit, est tamen fortis, vt pote in ratione semper manens, bonamq; voluntatem custodi. Pro illa vt tecum perseueres, conare pro illa vt crescat, gemitus & lachrymas ad Deum mitte, pro illa ora & supplica; pro illa Deo gratias age. Obserua ne sub specie non affectandæ deuotionis sensibilis, aut ne sub velo propriæ resignationis ad huiusmodi deuotionis carentiam, torpor, acediaq; cor tuum intret. Multi enim hac ca- rent ex vitio acedia. Alij carent quia Deus propter humilitatis custodiam, aut propter maiorem profectum hanc illis subtrahit.

Orationi, vt debitè fiat, quænam sint accommoda, quæ hominem ad eam præparent, vocali item orationi & cantionibus, quæ fiunt in Ecclesijs, quæ nos præparemus ac insistantur.

CAPVT XIII.

AD orationem accedas, velut omnium quæ fuerunt, aut sunt obliens, iã- quam mortuus, aut iam natus. Sic intendas Domino soli, quasi præter ipsum & te, nihil aliud sit.

Malas & otiosas cogitationes principio abijcias. Bonis verò sed huic tem- pori non congruentibus, dicito: Ite, expectate, si à Deo estis, post orationem remittet vos.

Cor à creaturis semper habeas abstractum, affectum quæ teneas liberum, mentemq; iugiter ad Deum leues. Vigilantissimè igitur contra omnes cogita- tiones te oportet pugnare, non solum malas, verum etiam otiosas. Hæ quoq; quæ ab hoc fine tuo te impediunt, quamuis bonæ alioqui sint, contemnendæ sunt. Ex omnibus quæ vides, quæ ue audis, discite orandi sumere occasionem, mentemq; ad Deum eleuandi. Nihil enim adeo potest audiri absurdum, nihil fieri, quod bonæ menti sese ad Deum conuertendi cum Deo q; tractandi, non præbeat occasionem. Aut enim in hominis Deo deuoti corde dolor genera- tur, propterea quod Deo fit irreuerentia, proximo ve iniuria: aut sobritudo nascitur vrgens ne fiat vnde Deus offendatur. Quicquid igitur audieris, quic- quid videris, orandi quæras inde occasionem. Ora vt Deus quod bonum au- disti dirigat, custodiat, promoueat, vt hoc illud ve malum auertat, arceat, tol- lat. Age gratias, quia benignitate illi nunc sua prouidit, illum seruauit, alium eripuit, alium emendauit, malum in bonum tibi conuertit, aliaq; id genus multa. Non tamen vt orandi habeas occasiones, rumores debes audire seculi. In cantu eliciendus est ex verbis affectus, mensq; erigenda ad Deum. Porro vbi mens relabatur eleuata, aff. ctu. q; perierit, propterea quod notatũ mul- titudo in vna quandoque syllaba multiplicatur, admittendæ sunt aliæ aspi- rationes, vt vel tuam gemas miseriam, vel suspires ad Domini misericordiã.

Verbi

Orandi oc-
casio vnde-
cunque su-
menda.